Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 587
Quelle:
Copyright:

adpellant, mentionem facit *Sigebertus Gemblac.* c. 91. Perditum credebat *Labbeus* T. I. *de Script. Eccl.* Sed praeter nostrum citatur in *Catal. Mss. Angl.* inter Codices *Coll. S. Benedicti Cantabrig.* p. 141. n. 1554. aliud Exemplum, cui, quod mirum, uti nostro *Martinus Braccar. de 4. Virtutib.* cohaeret. Reperitur fortassis etiam inter *Autperti Homilias*, quarum geminus Codex *Biblioth. Cassinens.* a *Montefalconio* in *Bibl. Biblioth. Mss.* T. I. p. 222. consignatur. Verum, quis anxie *Codices Mss.* conquirat, cum, si autores *Franciae literat.* T. IV. p. 152. n. 1. audias, impressus extet *Sermo* noster in *Alcuini Homiliario*, *Dom. Sexagesimae* legendus. Frustra quidem *Homiliarii* hujus editiones *Colon.* 1576. et *Lugd.* 1520. f. excussi, sed reperi saltem in *Martenii* et *Durandi Collect. ampl. Vett. Script.* T. IX. *col.* 219. atque sinceriorem quidem, quam sit in *Cod.* nostro. Est tamen, ubi peccat; Ita noster in calce rectius: *Quique* (quippe) *etsi — totum, ut potui, laborem non exhibui, tamen — a mercede vacuus non ero.* Prius *non* in edito deest.

V. *fol.* 36. p. 2. *Incipit prologus in libro Soliloquiorum Sancti Augustini.* Prologus iste C. 4. est e L. I. *Retractat.* cui praemittitur: *Quedam huius operis in libro retractationum correcta sunt, quę ita se habent. Inter hęc scripsi* &c. Sequitur uterque Liber, non sine lectionis varietate. Ita sub initium L. I. quod *Mauriani* T. I. *Opp. Augustini col.* 355. habent: *paucis conclusiunculis breviter collige.* Noster: *paucis conclude uinculis, breuiter collige* &c. Aliud *Soliloquiorum* Exemplum habetur *Cod.* CCXXI.

VI. *fol.* 62. *De uita et uirtutibus Sancti Amandi. cuius festa est VII. Kal. Nouemb.* Excerptum est e Vita S. *Amandi* Ep. *Trajectensis*, qui obiit an. 684. scripta ab ejus discipulo *Baudemundo*, qui ex Monacho *Elnonensi* factus est Abbas *Blandiniensis.* Integra legitur in *Act. SS. Bolland.* T. I. *Febr.* ad diem VI. p. 848. In *Cod.* vero incipit: *Amandus igitur sanctissimus uir. ex aquitanie est partibus ortus* &c.

VII. *fol.* 63. p. 2. *Incipit Passio Sancte Columbę.* Initium: *In diebus illis. Adveniens aureliamus imperator de partibus orientis. cum paganus esset et idola coleret. ingressus est ciuitatem senonas die octauo Kl. ianuarias* &c. Citatur *Columba*, fidem suam intrepide profitetur, clauditur in Amphitheatro, ope ursae stuprum a se avertit, juvene, qui illud offerebat, meliora docto, liberatur ab incendio et demum capite plectitur. Ista totidem verbis, ut in *Cod.* leguntur in *Vitis SS. Bonini Mombritii* edit. *s. l.* et *a.* sed *Mediolani* f. T. I. *fol.* 209. et contractius in *Petri de Natalib. Catal. SS.* ad diem XXXI. *Decembris*, quo memoria illius maxime in *Gallia* habetur. Martyrium fecisse creditur an. 259. quo *Aurelianus Galliae* praeerat, aut potius an. 273. quo jam Imperator